

RECTOR ET PROFESSORES P. ^{13.}
ILLVSTRIS SCHOLAE BREMENSIS

SACRAM MEMORIIS

M A T R I S

MATRONAE NOBILISSIMAE ET SPECTABILIS

GESAE WEITSEL

EX GENTE

M E I E R A

NATAE BREMAE A. MDCLXXXVIII. D. X. JAN.

DENATAE IBID. A. MDCCLXVI. D. XXI. NOV. ET XXV. EIVSDEM

SEPVLTAE

AET. A. LXXVIII M. X. ET XXII D.

SIMVL AC

FILII EIVS

VIRI

PRAENOBILIS CONSULTISSIMI
ET AMPLISSIMI

HERMANNI
WEITSEL

J. V. D. ET PATRIAE SENATORIS

NATI A. MDCCXIV. D. VII. MARTII

DENATI HOC IPSO ANNO MDCCLXVI. D. XVI. SEPTEMBR.

ET XIX. EIVSDEM MENSIS

AETATIS ANNO LII. M. VI. D. IX. CONDITI

HANC TABVLAM SVSPENDERVNT.

BREMAE

TYPIS VID. B. H. C. JANI ET DIEDER. MEIER, ILLVSTR. GYMNASII TYPOGR.



L. B. S.



Statum animarum a corpore solutarum intermedium, inter illum quo fruuntur dum corpori organico in hoc seculo junctæ sunt, & futurum ante beatam corporum resuscitationem, locum habere, persuasi sunt, quicumque sacra oracula penitus ruspantur, & sanioribus doctrinis de immortali mente ex præceptis disciplinarum Psychologiæ & Pneumatices imbuti sunt. Quanquam enim illum negarint eruditi Viri, vel ab errore vel a timore aliquo, inani tamen, aut disputandi fervore abrepti, rectius tamen sentire edocti sunt, quicumque studiose veritates revelatæ fidei in sacris contentas, veritates itidem rationis, de Spirituum affectionibus excusserunt. In errorem, animas exuto corpore dormire, a nulla re extra illas affici, neque extra se, in similes ipsis operari, quin ne sibi quidem suarummet conscias, sed in nexu cum universo non nisi per existentiam absque ulla passione aut actione superstites esse, prolapsi sunt, non pauci, bono quidem consilio, ut eo longius abirent a dogmatibus materialistarum tum crassiorum tum & subtiliorum, quod concipere non possent, merum spiritum, a materia immediate posse affici, aut illam absque intercedente medio (sed cujus illud erit indolis?) afficere. Verum qui caute agere soliti sunt, nimium non tribuunt imperio conclusionum, quamlibet juxta artis ratiocinandi regulas, ex abstractis veritatibus deductarum. Dissent toto cœlo naturæ spiritus & materiæ, modestia tamen fateri nos jubet, cognitionem nostram respectu utriusque limitibus illis esse circumscriptam, ut conclusiones ad omnes earum affectiones formare non valeamus, sicuti in rebus curatius a nobis adjuvante experientia cognitis. Destituimur ab omni experientia spiritus puri, qui exploratam solum habemus indolem nostræ mentis rationalis & immortalis, ut corpori nostro junctæ est. Empyrica illa cognitio, uti in quam plurimis fundamentum certi & cognitionis rationalis præbet, sic & id præstat in doctrina de natura & affectionibus spiritus meri. Ubi vero illa destituimur et ubi illa terminatur, ibi incipit revelatio, nos de ignotis erudiens, defectus cognitionis naturalis supplendo: Meminit illa PARADISI, in quem transferendi erant, ipso die emortuali, SOSPITATOR CVM LATRONE POENITENTE, in cruce expiran-

tes Luc. XXIII, 43. An suspitioni ulli locus est, cum Christus id promitteret ad erigendum in spem, dejectum animum resipiscentis, statum illum & a sensatione & ab operatione omni vacuum fuisse, societatemque tanquam beneficium promitti, qualis inter obrutos somno dormientes intercedit? Meminit quoque fruitionis **DE LIGNO VITAE QVOD EST IN PARADISO DEI** Apoc. II, 7. sed quem sensum lætum ex alia re extra ipsum perceptum, tribuimus illi, quem concipimus in somno, sine sensu, delitescere, aut ut quibusdam placuit nihil præter se ipsum sentire, atque solum nosse quod sit, ignorare vero ubi sit. Cohibuit alios timor, ne viderentur propius accedere illis, qui statum intermedium sibi fingunt anxie sollicitudinis plenum, in perferendis ærumnis satisfactionum humanarum in hac vita neglectarum; vel etiam ulterioris purgationis causa, quam ob rem decrevere animum, ex quo a vinculis mortalis corporis solutus est, confestim ad supremum gloriæ gradum, cui vix quicquam addi poterit evehi. Sed an ille perfectionis est compos, cui plura addi possunt & addentur augmenta, quot nempe ex unione cum corpore glorificato ejusque sensibus novis profluunt; qui quoque ad ulteriora illa aspirat & anhelat, sicuti **ANIMAE MARTYRVM SVB ALTARI** Apoc. V, 9. cui idcirco defunt quædam, quamlibet in suo gradu sit perfectus. Ignoremus licet quomodo spiritus, qui organon, per quod materiæ junctus erat deposuit, possit ab illa affici & cum illa immediate connecti, certi esse non possumus numne aliud & diversum a mortali exuto, daturus sit omnipotens & benignus creator, qui nihil frustra condidit, & per sapientiam neutiquam credendus est spiritus rationales indolis eximie, & ad egregia aptos, per multa secula, quasi res essent inanes, obrui somno & absque ullo sensu aut exertione facultatum præcellentium superesse. Ignoramus quoque, quomodo Deus Spiritus maxime purus influat in res creatas & universum materiale, de qua re nemo ambigit, qui non in castris Spinozæ militat, & quanquam Omnipotens infinite exsuperet rem creatam, vel ipsa omnipotentie notio nondum illius influxus modum nobis satis pandit. Potest vero Spiritus ille infinitus condere nostris mentibus finitis, post depositas mortales exuvias organon, per quod cum universo sic connectuntur, ut quælibet, in suo in quo posita erit situ, illud contemplari & in illud agere valeat. Plusquam conjectura est, Paulum illud indicare 2 Cor. V, 1. dum commemorat **DOMICILIVM ABSQVE INTERCEDENTE OPERA instrumentorum hominum IN COELIS AETERNVM PERMANENS, INDVENDVM, FRACTO ET DISSOLVTO TENTORIO TABERNACVLI** quod circumgerimus in præsentis vita. Sic evitamus hinc Scyllam, Spiritum merum non posse agere in partem illam universi quæ materia est, sic & inde Charybdin, inferre statum talem intermedium, in quo supersunt speranda futuræ perfectionis augmenta & purgationes superiores a maculis & defectibus per ærumnas & satisfactiones, quas revalatio prorsus ignorat, omnia tribuens quæ salutem nostram constituunt, meritis perfectissimis unici & consummati Mediatoris. Augeri potest nostra perfectio successive absque purgationibus, dum liberati erimus **A CORPORE MORTIS**, sicut in statu integritatis poterat, per exercitia, verum neutiquam anxie & molesta sed facilia & feliciter progredientia, ad comparandos novos habitus. Assuefaciendi sumus ad quemlibet novum statum, rerum usu. Ansam præbent illa quæ circumstant statum medium, juvat gratia Liberatoris & arcta cum illo unio, remotis obstaculis, quæ in hoc seculo cum maxime in sensibus corporis mortalis, in depravata imaginationis facultate, **LEGE ILLA PECCATI IN NOSTRIS MEMBRIS HAERENTE**, in illecebris & imperio affectuum, maximo nostro damno experimur. Embryones in præsentis vita sumus æternitatis, uti olim eramus embryones introituri in hoc seculum. Exercitiis quamlibet ob peccati primi imputationem & sequelas molestis, pertigimus ad augmenta habituum quibus in infantia carebamus. Liberati a corpore mortis & impedimentis facilius, succedent atque promovebuntur conatus in melius & perfectius tendentes. Si vero talis ob-

tineat status defunctorum, qualis ille futurus sit, quantum de illo nosse nobis conducit, Sacrae Litterae, licet illud quibusdam non videatur, neutiquam reticuerunt. Socialem illum fore & reciprocum commercium intercessurum BEATE IN DOMINO DECEDENTIBVS, cum Sospitatore, redemptorum capite, vel sola dictio Phil. I, 23. ESSE CVM CHRISTO docet; itidem CVM SPIRITIBVS PERFECTE IUSTORVM (Ebr. XII, 23.) per Apocalypsin D. Johannis edocemur, primas ducentem lineas de indole hujus societatis, ex quibus, adhibitis notionibus quas praecipua de natura societatis inter mentes creatas pandunt, cognitio ejus sufficiens potest colligi. Sed ista nunc non nobis licet persequi. Ansam ad has meditationes nobis praebuit duplex funus, MATRIS & FILII, quod utrumque in fronte hujus tabulae designavimus, quorum postremum ante bimestre tempus, prius nudius sextus tumulis suis illatum est. Mentis a vinculis mortalibus exsolutae, ut Christiana charitas nos sperare jubet, translatae sunt in societatem beatorum, in qua commercio fruuntur & puriore ab omnibus defectibus & diuturniore, quam ipsis in hoc seculo frui datum fuerat. Nisi cum paganis pro ni simus in errorem, umbras per aquas fluminis Lethe, oblitae rerum quas in hac vita expertae sunt, deletamque illarum in eis esse recordationem, concipere possumus delicias quas gustant in beato statu, junctis gratiarum actionibus Liberatori qui sanguinis sui lytro ipsas redemit, & spiritu suo in semitas ad beatorum sedes tendentes, deduxit: MATRE gaudente, quod ex sua cura instillatis a teneris FILIO pietatis feminibus, illum in hereditate sanctorum in luce amplecti; Filio quod genitrici pro cura & sollicitudine in hoc seculo, grates gratissimas, referre, uterque vero, quod omnium bonorum & misericordiae fonti exuberantissimo, Deo triuni, in societate coelorum laudes persolvere possint aeternas. Sint licet illorum gaudia longe remota ab illis, quae a sensibus & affectibus in corpore mortali foventur, rationi tamen sunt consona & ex nobilioribus cogitationum representationibus atque experientia resultant. Memoria defunctorum nostrorum meretur conservari & ad posterum transmitti. Quamobrem initium ducemus ab encomio

M A T R I S

Matronae praecleari exempli. Genus illa duxit a majoribus de omni re publica & sacra patriae nostrae meritissimis, PATER ejus fuit Vir Consultissimus & Amplissimus HERMANNVS MEIER, J. U. D. Senator insigni Auctoritate gravis, ecclesiarum in agro & hospitalis ad D. Remberti Patronus, atque Aedilis templi Ansgariani. MATER T. T. GESA HANNEKEN. AVVS in stammate paterno T. T. HENRICVS MEIER, laudabilis collegii Seniorum, Senior spectatissimus. AVIA GERTRVDIS CHYTRAEA, Amplissimi Senatoris MATTHAEI CHYTRAEI J. U. L. cujus eruditionis politae extant monumenta in carminum ejus collectione & T. T. HELIAE WACHMAN FILIA. Iste Matthaeus FILIVS erat NATHANIS CHYTRAEI, Viri Celeberrimi nominis, illustris Scholae nostrae luminis, S. Th. Professoris & Rectoris Magnifici perpetui, fratris Davidis Theologi Rostochiensis celebratissimi & GERTRVDIS PRENGERS, quam genuerant T. T. HENRICVS PRENGER, Senator Rostochiensis, & T. T. GERTRVDIS LEVARDEN. Memorata vero ab avia Wachmanna nata fuit ex T. T. JOHANNE WACHMANNO, urbis nostrae Senatore Amplissimo & T. T. ILSA KRAEFTING, FILIA T. T. HENRICI KRAEFTING. PROAVVS fuit T. T. HENRICVS MEIER, Magnarius florentissimus, PROAVIA T. T. KVNIGVNDIA DINKLAGEN, FILIA T. T. JOHANNIS DINKLAGE & T. T. ANNAE AVERDAM. In genere materno AVVS fuit T. T. JACOBVS HANNEKEN, Ne-

gōtiator felicissimus & Senator Jeveræ in Frisia Orientali, AVIA T. T. GESA EDZARD, FILIA LVBERTI EDZARD, Jcti & Patriæ Senatoris & T. T. CATHARINAE BERLAGEN. Respondit educationi probæ & sollicitæ, quam a parentibus nacta est, flectentibus vividum ingenium in amorem pietatis, virtutis & omne virginale decus, optatus successus, ut inter plurimas sui sexus jam mature emereret, atque expetiretur votis Viri quondam Nobilissimi & Amplissimi DANIELIS WEITSEL, Magnarii urbis nostræ ex felicissimis, Senatoris & templi Ansgariani ædilis, quibus & cessit, domum ducta ab illo, nuptiis faustis auspiciis celebratis die 20 Novembris A. MDCCVIII. Conjugium beatum fuit, concordia, rerum affluentia, insigniter infrequenti duratione ultra semiseculum, in annum nempe quinquagesimum secundum protractum, cujus & semisecularia sacra die 20 Novembris A. MDCCLVIII. peractis benigno Numini gratiis pro rara felicitate & ingentibus beneficiis, læte celebrata sunt & monumenta æque typis expressa ac in ære cuso extant. Supervivens nobilissima vidua Amplissimum maritum ad superos commigrantem, viduitatis moerorem lenivit flore binarum prolium, quæ ex octena supererant. Recensebimus illas

I.) Primogenita fuit Matrona eminentissima ANNA MARGARETHA, nata A. MDCCIX. die 26 Augusti, quæ nuptum data est A. MDCCXXXI. die 29 Maji Viro Prænobilissimo & Amplissimo HERMANNO VON LINE, V. J. D. & Senatori, ex quo connubio quinque vidit nepotes, sed qui omnes mature ad superos abierunt,

- 1.) LIBORIVM, nat. A. MDCCXXXI. d. 26 Decembris d. 28 defunctum.
- 2.) DANIELEM, nat. A. MDCCXXXIII. d. 29 Martii, sed 7 April. obeuntem.
- 3.) METTAM LVCIAM, nat. MDCCXXXV. d. 26 Octobr. sed avocatum ex vita anno sequente d. 9 Martii.
- 4.) GESAM MARGARETHAM, nat. A. MDCCXXXVIII. d. 13 April. denatam vero mox d. 1 Maji.
- 5.) FILIAM A. MDCCXLII. d. 22 Aug. quæ tamen vitalem auram non traxit.

Præcesserunt hæ omnes Matrem A. MDCCLIII. d. 20 Aug. pie defunctam. Huius in thoro Amplissimi Vidui locum complet, quam secundis votis A. MDCCLIV. d. 14 Aug. duxit Matrona Prænobilis JACOBA HELENA VON MEINERTSHAGEN, Viri quondam Illustris GERHARDI VON MEINERTSHAGEN, Ser. Electoris Palatini Consiliarii & Circuli Westphalici Thesaurarii, Magnariique urbis Colonienfis florentissimi, & T. T. SARAE ELISABETHAE SCHLÜTERS, Filia.

II.) Secundo genita GESA CATHARINA, nata A. MDCCXI. die 10 Febr. 5ta Maji ejusdem anni decessit.

III.) ANDREAS, natus A. MDCCXII. d. 14 Octobris idem fatum expertus est die 21 Decembris.

IV.) Vir Amplissimus HERMANNVS WEITSEL, de cujus vita mox in hac ipsa tabula commentabimur.

V.) ANDREAS, nat. A. MDCCXV. die 5 Maji, obiit d. 19 Decembris.

VI.) ANDREAS, alter nat. A. MDCCXVI. die 4ta Septembris, qui ad adultam pervenit ætatem & mercaturam Hamburgi exercuit sed heic A. MDCCLIV, die 20 Aug. fatis functus est.

VII.) Matrona condecoratissima GESA CATHARINA, nata A. MDCCXVIII. d. 9 Septembr. quam connubio sibi junxit auspiciatissimo d. 22 Maji A. MDCCXLII.

Vir Nobilissimus Consultissimus & Amplissimus HERMANNVS DWERHAGEN, J. V. D. & reipublicæ Patriæ Senator merentissimus. Octo inde nati nepotes, ex quibus quatuor in vivis supersunt, altera parte ex vivis exempta. Decefferunt enim

- 1.) primogenita METTA ALMATHA, nat. A. MDCCXLIII. d. 23 Sept. ejusdem anni 23 Novembr.
- 2.) Secundo genita A. MDCCXLIV. die 16 Dec. in ipso partu extincta.
- 3.) Quinto genitus DANIEL, nat. A. MDCCXLIX. d. 19 Oct., denatus 22 Jan. MDCCL.
- 4.) Itidem postremo genita, in ipso partu extincta FILIA A. MDCCL. Supersunt lectissimæ Virgines.
- 5.) Tertio genita GESA MARGARETHA, nata A. MDCCXLVI. die 18 Febr.
- 6.) Quarto genita ALMATA, nata 2 Febr. A. MDCCXLVIII.
- 7.) Sexto genita METTA CATHARINA nat. d. 27 Jul. MDCCLIV. &
- 8.) Septimo genita HERMANNA, n. d. 7 Octobr. A. MDCCLV.

VIII,) Vir Nobilissimus & Consultissimus DANIEL WEITSEL, J. V. D. & Causarum Patronus qui inter vivos esse cœpit die 19 Junii A. MDCCXXI. & defuit d. 18 Junii A. MDCCLX. Inter laudes pie defunctæ merito refertur, quibus exemplum aliis præluxit & desiderium sui post se reliquit, cura rei familiaris, mariti quoque & liberorum, grata comitas cum affabilitate, indoles læta, omnis honestatis studium, liberalitas in egenos, & quæ virtutum est regina pietas, quam frequenti & religioso Dei cultu, publico quem omnibus cœtus membris & privato quem suis testatum fecit. Valetudine usâ sat stabili & firma, usque quo, post obitum Amplissimi Mariti casu afficeretur apoplectico, quo in paralyfin vergente, impedito inde corporis motu & exercitatione, fluida in Cachexiam & hæc in febrem degenerarunt, qua animalibus functionibus cohibitis, vitales sensim destructæ sunt, & spiritus avolavit ad astra, beato statu intermedio ob merita Sospitatoris in communionem ejus fruens. Subsequatur elogium

F I L I I

PARENTE ille genitus (de gente enim Matris modo commentati sumus) Viro Nobilissimo & Amplissimo DANIELE WEITSEL, Magnario, templi Ansgariani Ædili & Senatore. Avus fuit Vir Spectabilis ANDREAS WEITSEL, Negotiator felicissimus, Armamentario præfectus & templi Ansgariani itidem Ædilis, AVIA T. T. ANNA POST; PROAVVS T. T. DANIEL WEITSEL, Mercator famigeratissimus, Cotheniensis, PROAVIA T. T. MARGARETHA EIRAVCHIA. Sollicitam educationem parentum cura & præceptorum diligentia nactus, operam omnem impendentium institutione proba, tum in capitibus religionis tum in scientiis humanis bonæ frugis, ut aliquando, quod ingenium a teneris promittere videbatur, evaderet Vir bonus & utilis civis patriæ, felicissimo successu. Immissus in pædagogium, curricula ejus emensus est & ad altiora subsellia promotus A. MDCCXXX. post ferias autumnales. In propædeuticis studiis, elegantioribus litteris, historicis & philosophicis lectiones tunc docentium Professorum HAVIGHORSTII, HEISENII, RVNGII & DVSINGII, frequentavit auditor assiduus & intelligens. His excultus, cum Jurisprudentiæ consecratus esset studio, profecit ex ore clarissimorum Virorum SCHOENI, KLVGKISTII & DÜSINGII, cumque sexennium inter cives nostros peregisset, augendæ eruditionis causa, exterâ salutatum ivit Musas, & quidem primo celeberrimam Academiam Francofurtensem prope Viadrum. Ibi per biennium ad mensem Aprilem A. MDCCXXXVIII. pependit ab ore Virorum Illustrium & celeberrimorum MOSERI, HEINECCII, FLEISCHERI & POLACI, in institutionibus variarum disciplinarum jurisprudentiæ, naturalis, civilis, publici & feudalis, favoremque Doctorum & amicitiam expertus est, ob discendi ardorem & morum honestatem atque decus. Constitutum ipsi

erat Belgium & quidem Academiam Trajectinam adire studiorumque suorum cursum ibi ad metam perducere, unde viso Berolino, Lipsia, Dresda, (ubi tunc celebrabantur solcmnia nuptialia Principis Regiæ & Electoralis cum Rege Siciliarum) lustrato ibi aulæ splendore, deinceps Brunsviga & Hannovera, revisis in transitu paternis laribus, per Westphalam, in celeberrimo illo eruditionis omnis Sacratio, appulit. Ibi audivit EVERARDVM OTTO, inter Principes hujus seculi Jctos eminentem, postea urbis nostræ Syndicum Primarium, cum Cel. PETRO WESSELINGIO & ALIIS. Præmio studiorum axiomate Doctõris condecoratus est, conscripta & defenla publice disputatione Inaugurali DE JURE CLAVIVM A. MDCCXL. Sic ad iter litterarium & politicum se accinxit, postquam feriarum in Belgio tempore excursiones fecerat in urbes & emporia, tum fœderatarum, tum & Hispanicarum ut audiunt Provinciarum. Viennam ad Splendidissimam aulam Imperatoris tendens, ut ibi instructior fieret in rebus ad processus imperii spectantibus, per Cassellas, Wetzlarum & Francofurtum, ob tristissimum nuntium de insperata morte Imperatoris Caroli VI, obstructa via & rerum mutata facie, ulterius pergere prohibitus, Berolinum petiit, atque ibi per tempus commoratus est. Patriæ redditus, consiliis cives in foro juvit fideliter, boni & æqui perpetuo studiosissimus. Quam de illo spem conceperint ob merita Patres conscripti, testatum eo fecere, quod illum in splendidum suum confesum cooptarent & quidem in defuncti Parentis locum d. 18 Decembr. A. MDCCCLIX. Sic dotes suas explicandi & Patriæ bono impendendi ampliorem nactus ansam, omni fide & dexteritate suis partibus functus est. Conjugii felicitis & concordis vinculo nexus est A. MDCCXLIV. d. 21 Julii, cum Virgine Nobilissima ELISABETHA DWERHAGEN, Viri Nobilissimi, Consultissimi & Amplissimi DAVIDIS DWERHAGEN, J. V. D. Senatoris & Scholarchæ, atque T. T. METTAE CÖPER, FILIA, quod in annum vigesimum secundum durans, nunc luctuoso hoc funere dissolutum est. Natæ sunt ex illo tres filiæ, primogenita GESA MARGARETHA, nat. A. MDCCXLV. d. 1 Maji elocata est Viro Prænobilissimo & Consultissimo GERHARDO OELRICHS, J. V. D. & Cæs. Majestati a consiliis d. 8. Oct. A. MDCCCLV. 2.) Secundo genita ALMATA, nat. d. 21 Octob. A. MDCCXLVI. decessit 28 Maji A. MDCCCLII. 3.) Tertio genita METTA ALMATA, nata d. 10 Oct. A. MDCCLV, in lætam spem adolescit. Consoletur Deus O. M. afflictos hos omnes superstites. Comitas, fides, æquitas, Numinis reverentia, studium honesti, cum aliis virtutibus quæ ornant, bonum civem & patriæ Patrem, eo erant gratiores quo venibant ex pulchro corpore, quibus & cum suffragiis amorem omnium bonorum sibi conciliavit. Longiorem vitam promittere videbatur corporis habitus, morborum insultibus non concussus, sed invasit illum non adeo nuper symptoma minax, quod etamsi videretur aliquando depulsum iri, vires prostravit adeo, ut cum halitu spiritum Deo redderet. Fruatur ille deliciis cum occurrente Matre, usque ad tempus meliorum, in beata resurrectione corporis. Lector Christiane, hæc nobiscum expendens, id agamus ut vel decedentes vel derelicti a nostris, in sedibus beatorum eis aliquando in occursum venire detur. Vale. Pos. I. Dominica Adventus A. MDCCCLXVI.

